

1755

C O D I C E S A

1756

nita sunt *Capitula de correptione spiritualis ordinis*. Anno (14)40. post quam duae lineae erasae suspicionem movere possent, oborta jam de Autore Opusculi lite nomen *Thomae a Kempis* inde sublatum fuisse.

*Fol. 164.* praemisso Caput *XXXVIII.* Indiculo *Incipit Opusculum fratris dauid.* Nempe *Formula prior Novitiorum* pii hujus e *Franciscana* Familia Viri *Teutonici Augustani*, de quo jam alias in hisce Commentariis dixi. Ejus initium est: *Desiderasti amice karissime, ut aliquid scriberem tibi* &c. ut in *Bibl. PP. Lugd. T. XXV.* ubi p. 869. longe uberior extat haec *Formula*, quam quidam tanti fecerunt, ut *Bonaventurae* tribuerent. Additur ibidem, *Amicum illum Bertholdum* fuisse clari pariter inter suos nominis.

A *fol. 206.* alia quaedam Documenta brevia ascetica sequuntur.

DCCXXX.

R. 3353 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 104. 12. probe scriptus, et priore quidem parte luculentius, rubroque distinctus eandem primum *Regulam* exhibet, quam dein etiam, sed absque omni Titulo *Formula Novitiorum F. Davidis de Augusta* comitatur *Exemplo* superiore nihilo plenior.

DCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3323 XIV. Folior. 54. 4. caractere luculento crasso bene perscriptus et minio distinctus Ordinationes et Reformationes pro bono Regimine Monachorum nigrorum Ordinis S. *Benedicti* continet, quae ἀνεπιγχαφως incipiunt: *Benedictus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Summi magistri dignatio nos quamquam immeritos* &c. Est is *Benedictus XII.* P. M. dictus ante *Jacobus Fornerius*, qui *Avenione* sedit ab a. 1334. ad a. 1342. et haec Statuta dedit, ut in calce legitur: *XII. kal. Julij Pontificatus nostri anno secundo* (id est, 20. Jun. 1336.) Additur in Codice Cccccc. Lij. quod non extrico, nisi fortasse Miniator descriptionis annum 1352. exprimere voluerit. Extant illa *Bullarii Cocqueliniani* T. III. P. 2. *Romae* 1741. p. 214. f. divisa in XXXIX. Capita. Totidem censent in Codice, transpositis tamen C. 30. et 31. Rubricis quandoque variantibus, quandoque omissis. Ad Rubr. C. 19. *Ne mulieres habitent in locis monachorum*, *Exclamatio* in margine: *Quod absit!*

DCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3337 XII. Folior. 99. 4. luculente et pereleganter, atque, ut vult *Scheda* inserta, per *Luitholdum* monachum *Lunaelacensem* celebrem

καλ-

1757

ASCETICI.

1758

καλλυγραφοῦ exaratus, minioque distinctus complectitur *Regulam Solitariorum, Inclusorum* seu *Retrutorum* absque titulo a *Cap. I.* inchoantem: *Primum igitur indagari oportet, cur monachus, uel cur solitarius vocatur &c.* Edidit hanc post *Lucam Dacherium Luc. Holstenius* in *Codice Regularum*, repraesentavitque in *Edit. August. Vind. Marian. Brockie T. I. 1759. p. 291. f.* In praevia *Observat. critica Grimlaicus* quidam ejus Autor teste *Prologo* statuitur, qui tamen *Prologus* in *Exemplo* nostro aut nunquam fuit, aut inde excidit, id, quod post *fol. 14.* etiam binis foliis factum est. *Grimlaicum* in ead. *Observat. Sec. IX.* scripsisse tradit *Holstenius* in eo lapsus, quod Solitarios adserit in *subterraneis Monasterii locis* inclusos fuisse. Falsum id esse docent, quae e *Cap. XVI.* adseribo: *Oratorium ita sit domui Ecclesiae contiguum, quatenus idem Solitarius per fenestram ejusdem oratorii possit ad missas per manus Sacerdotum oblationes offerre, ac cantantes et legentes fratres congrue audire, atque simul cum eis possit psallere, et etiam ad venientes quosque ibidem valeat responsa dare. Sint etiam ante ipsam fenestram deintus et deforis uela appensa, ne facile a foris uideri uel uidere queat. — Habeat autem infra septa retrusionis hortulum exiguum &c. — Sit etiam extra septa retrusionis et alia cellula, in qua discipuli eius habitent &c.* Ceterum Codex noster cum *Editis* bene consentit.

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

Ultimis Paginis Tabellae quaedam ordinandi Temporis habebantur, quae nunc magnam partem extritae sunt.

DCCXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1985 XV. Folior. 175. f. per duas columnas luculente et nitide scriptus, coloribus illustratus et olim, ut fert calx, *Domus porte beate Marie in Apxach ord. Carthusiens.* quae fundata a. 1386. ab *Haderico e Dynastis Meiffavien-sibus* nunc cum reliquis per Imperium *Austriacum Carthusiis* diem supremam obiit, continet: I. *Constitutiones Antiquas Ordinis* in *Partes III.* distinctas praemissis cuilibet *Parti* Capitibus, prout habentur in *Statutis ordinis cartusiensis a domno Guigone (Wigone, Guidone, de Castro, de Ponte, de Pinu,* quinto a *B. Brunone* Carthusiae maj. Praefecto, *Delphinatate, a. 1137.* vivis exemto) *priore cartusse editis, et ab Joh. Amorbachio Basileae 1510. f.* impressis. *Parte II. c. 1.* in hac edit. legitur: *Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono visum est Capitulo generali &c.* pro quo Codex noster habet annum 1270. et *Nova Collectio Statutorum Romae 1688. 4.* vulgata annum 1572. Ad calcem *Partis III.* titulo *De diuersis statutis* addita sunt nobis 7. *Decreta, quae non habentur in edit. Basil.* video tamen ea per *Novam Collectionem Statut. cit.* esse distributa.

Ss

Fol.